

NvK als apostolischer Kommissar und Visitor für das Kloster Wilten an Ingenuin Mösel, Kanoniker zu Wilten. Nach dem Tod des Abtes Erhard von Wilten haben sich die Mönche einbellig an ihn als apostolischen Visitor gewandt, um aus ihrem Kreis einen Nachfolger zu bestimmen. NvK habe daraufhin nach eingehender Beratung mit Konventsvertretern Ingenuin Mösel zum neuen Abt ernannt.

*Kopie (gleichzeitig): BOZEN, StA, Lade 13 Nr. 8 E; (J. Resch, 18. Jh.): BRIXEN, Priesterseminar, Ms. D 11 p. 655f.
Erm.: Tinkhauser/Rapp, Beschreibung II 268f.; Palme, Beziehungen 133; Palme, Abtwahl im Stift Wilten 261.*

Nicolaus miseracione divina tituli sancti Petri ad vincula sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis, episcopus Brixinensis, commissarius ac visitor ad <monasterium> Sancti Laurentii in Wiltina ordinis Premonstratensium ac alia monasteria nostre diocesis a sede apostolica specialiter deputatus, honorabili, religioso, in Christo nobis
5 sincere dilecto fratri Ingenuino Mösel¹⁾, professo prefati monasterii Sancti Laurentii, salutem in domino sempiternam. Ex debito officii a sede apostolica nobis commissi²⁾ astringimur, ut monasterio prelibato Sancti Laurentii, quod per obitum bone memorie Erhardi abbatis ipsius, dum viveret, pridie defuncti³⁾ pastoris solacio extitit destitutum, prior et conventus dicti monasterii volentes eiusdem viduati pastoris
10 regimini salubriter quantocius providere, de unanimi consensu, nemine discrepante, in nos tamquam eorum et monasterii ipsius visitatorem apostolicum concorditer compromiserunt, supplicantes nobis humiliter, quatenus nos, qui noticiam eorum tamquam visitor plurimum haberemus, eorum viduato monasterio aliquam personam ydoneam de ipsorum cetu in abbatem preficeremus.

15 Nos igitur, ut observanciam, quam nuper ad ecclesiam nostram Brixinensem accedentes cum divino adiutorio in prelibato monasterio plantavimus ac religionem a nostris predecessoribus cum temporalibus bonis eidem donatis renovari fecimus⁴⁾ deo auctore cum abbate, qui huiusmodi manuteneret, sub cuius eciam regimine tam in temporalibus quam in spiritualibus idem monasterium salubre incrementum reciperet,
20 prehabita deliberacione diligenti cum nonnullis fratribus senioribus eiusdem monasterii, de tuis circumspicione ac religionis observancia plurimum confidentes, te in abbatem monasterii prefati Sancti Laurentii prefecimus, regimen et administracionem tam in temporalibus quam in spiritualibus sepedicti monasterii in animam tuam committentes munusque benediccionis abbatis solitum impendi tibi per manus nostras
25 hodie impendimus.

Quocirca priori et ceteris fratribus conventus sepedicti monasterii necnon omnibus et singulis subditis censualibus, colonis ac aliis, quibuscumque ad tuum monasterium prelibatum pertinentibus districte et sub excommunicacionis pena mandamus, quatenus tibi ut abbati monasterii prefati prior et fratres per omnia et in omnibus obedien-
30 ciam solitam prestant eamque firmiter observent; aliisque omnes et singuli, in quantum de iure et antiqua et laudabili consuetudine tenentur, tibi in omnibus pareant. Alioquin contra eos et quoscumque rebelles per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia procedere curabimus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est impensum.

Datum in castro nostro Sancti Raphaelis mensis augusti die prima anno domini

millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, pontificatus sanctissimi in Christo 35
patris et domini nostri domini Calixti divina providencia pape tercii anno quarto.

1) Zu ihm s.o. Nr. 5659 *Anm. 1.*

2) S.o. Nr. 3417.

3) *Abt Erhard von Wilten starb am 15. Juli 1458; s. Lentze, Reform des Stiftes Wilten 516. Dass die Angabe pridie hier nicht im engeren Sinn als „am Vortag“ zu verstehen sein kann (so aber Palme, Abtwahl 260; ders., Beziehungen 133), ergibt sich bereits aus dem Umständen, da die Gesandtschaft der Wiltener Mönche zu NyK eine gewisse Vorbereitung erforderte. Zudem setzt das Schreiben des Jean de Champdeniers vom 28. Juli 1458 den Tod des Abtes voraus; s.o. Nr. 5697.*

4) *Zur Reform von Wilten s.o. Nr. 2970, 3936, 4115, 4336, 5063, 5209, 5223, 5230.*